

Bibliothèque numérique

medic@

**Colon, Philibert-Louis - candidat /
Disdier, François-Michel - président. -
De diastasi**

1770.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi,
Cote : ms 2343, n°36***

DE DIASTASI, THESES ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

Quas, DEO DUCE & præfide M. FRANCISCO-
MICHAELE DISDIER, Artium & Chirurgiæ Magistro,
Collegii antiquo præposito, Regiæ Chirurgiæ Acade-
miæ Consiliario, in Academiâ Picturæ & Sculpturæ
Sancti Lucaë, Professore Anatomes, &c., tueri conabi-
tur, PHILIBERTUS - LUDOVICUS COLON, *Æduensis*,
Artium Liberalium Magister & unus è Regis Chirurgis.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die 31^a. Decembris, à sesqui-Secundâ post meridiem ad septimam
A. R. S. H. 1770.


PRO ACTU PUBLICO
ET SOLEMNI COOPTATIONE.



Tipis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXX.

OO





D. O. M.

DE

DIASTASI.

THESES

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

I.

CUM suapte naturâ ad doctrinæ cupiditatem inclinet Homo, perfectissimum Dei opus, debuit primùm ab ortu se ipsum noscendi desiderio teneri. Aliundè non potuit omnipotens quin faveret studiosæ indagationi ex quâ in ipsum necessariò redundabant memoris animi significationes. Attendens enim Homo qualis quantusque esset, supremum Authorem quantò certiùs mirabatur, tantò libentius colaudabat, diligebat, curvatâ fronte venerabatur.

A ij

I I.

Ad superiores igitur ætates revehenda videtur Anatomie disciplinæ quæ magis ac magis excolta & perpolita, nostris temporibus quasi summum maturitatis apicem obtinuit. Quænam sit hujus-ce scientiæ utilitas, quotidiana probat experientia; qua propter antequam de morbo quem exponendum suscepimus, agatur, non modo commodum, sed etiam planè necessarium partis isto morbi genere laborantis, anatomicum specimen aliquatenus exhibere, censemus.

I I I.

Ex partibus seu solidis, seu mollibus constare corporis humani fabricam nemo nescit, inter solidas facilè principem locum occupant ossa, quæ vario fibrarum ordine sunt intertexta. Fibras autem primâ ætate molliores, deindè cartilagineas, tandem durissimas excipiunt lamellæ firmiter adunatæ, ex quibus constantur ossa, quæ corpori fulcimentum præbent.

I V.

Ossa generatim ampliori volumine in extremitatibus quàm in medio donantur; indè fit ut commissuræ stabiliiores sint, difficiliusque è sede suâ dimoveantur.

V.

QUAMVIS eadem sit omnium ossium materia, inter se se tamen differunt ratione sitûs, figuræ, coloris, substantiæ & usûs. Duplicis est generis ipsorum coadunatio. Alia nimirum cum motû junguntur, alia vero sine motû. Articulatio cum motû vocatur *arthron*; absque motû nuncupatur *symphysis*: una quæque plures admittit divisiones & subdivisiones proprio vocabulo distinctas.

V I.

OSSA licet ceterarum corporis humani partium fulcimen-
to ac præsidio destinata, suis sunt morbis modò continui-
tatem, modò contiguitatem lædentibus, obnoxia. Quinque
ut vulgo annumerantur morbi ossium continuitati adver-
santes, nempe *fractura*, *caries*, *exostosis*, *curvatura* & *mollities*.
Pari numero sunt qui contiguitatem lædunt, *luxatio*, sci-
licet, *anchylosis*, *distorsio*, *cliquetis*, *diastasis*, quibus *hydrops*
in articulo addi potest.

V I I.

AMPLISSIMUM fanè dicendi argumentum nobis sup-
peditaret tanta malorum series, si temporis circum scripti
angustia sinerent nos omnes & singulas ex professo recensere,
confectari, discutere. De diastasi solum in articulo tibiæ ossis
cum pede supervenienti, præviâ, ut moris est, hujus-ce par-
tis disquisitione anatomicâ, discere nobis sat erit.

V I I I.

COMMISSURAM pedis cum tibiâ Ginglimoïdæam ef-
fe nemo inficias ibit. Triplex Ginglimorum species pro tri-
plici acerabulorum modo, statuitur.

I X.

IN infimâ tibiæ extremitate cavitas apparet cartilagino-
sa quæ ex utroque latere utroque clauditur malleolo. Recipit
illa cavitas corpus ossis astragali quod quidem variis conso-
lidatur ligamentis. Hæc potissimum commissura duplici pe-
dis motui, quo aliàs flectitur, aliàs extenditur, faver; non
parùm ad duplicem motum musculi tùm flexores, tùm ex-
tensores conducunt.

X.

QUOTIESCUMQUE peronæum ab osse tibiæ disjun-
gitur, necessariò supervenit morbus quem dixere *diastasin*

inter diversas luxationum species non immeritò reponendam. Verùm enim, verò nomine diastaseos in genere, intelligitur dimotio seu diductio ossis cujuspian ab osse quo cum jungi debuit. Hinc colligere est, diastasin non unicam esse, cùm tot in locis exoriri possit, quot exstant ossium commissuræ.

X I.

DIASTASIS de quâ hîc agitur, sui certè sunt, ut reliquis, characteres. Simplex est modò, modò composita, modò complicata, quandoque levis momenti, nonnunquàm maximi, ac tandem recens aut vetus.

X I I.

CAUSÆ diastasin producentes, ab externis & ab internis petuntur. Internæ sunt humor sinovialis deficiens aut nimius, ejusdem liquoris dissolutio, spissitudo, vel aliud vitium huic peculiare, laxatio ligamentorum, lapsus autem, ictus, nîsus solito vehementior, &c. Causæ habeantur externæ.

X I I I.

EXPLORATIS diastaseon causis, plurimùm juvat signa observare. Ea porrò sunt diagnostica & prognostica, facili quidem negotio discernuntur status præsens ægrotantis, genus, species, indoles morbi quo afficitur. Oculi perspicaces, tactus solers, nonnullæ percontationes in casû etiam obscuro facem præferunt, viamque quasi aperire ad curationem videntur. At non ita pronùm est præjudicare qualis futurus sit eventus, nisi frequens artis exercitium, mira sagacitas Chirurgus laboranti, subsidio venerint.

X I V.

UT methodicè instituatur diastaseos curatio, tria præcipuè requiruntur. 1^o. Pars affecta in natali sede reponatur, 2^o. in eo, quàm commodissimè fieri potest, contineatur, 3^o. accidentibus tùm præsentibus, tùm futuris prospiciatur.

X V.

QUA ratione procedendum sit ad partem reponendam continendamque, responsionibus patebit. Accidentia autem de quibus suprà facta mentio est, remediis generalibus & interdum topicis pro re natâ adhibitis, arcentur. Cibi potusque prudens administratio, aut abstinencia, prout morbi species & ægrotantis habitus expostulant, potissimum in genere commendantur.

F I N I S.

